

Quomodo inueniantur parallaxes & distantia à centro terræ eorum phænomenûm, quæ subeunt horizontem, & supra eundem attolluntur. Cap. 9.



*I tale aliquod phænomenon effulserit, quod ascendat supra horizontem, ac rur-  
sus infra eundem delabatur, cuius paral-  
laxim, adeóq; etiam locum ipsius in aëre,  
ac à centro terræ distantiam scire desi-  
deras: principio diligēter considera quan-  
do illud phænomenon cum aliqua stellarum fixarum tibi co-  
gnita, peruenerit ad culmen cœli. Sit autem stella eiusdem  
affectiois cum phænomeno. hoc est, uterq; vel in Boream,  
vel in Austrum declinet. Mox eo ipso momento per Radiû  
Astronomicum, aut quadrantem, seu quoduis aliud instru-  
mentum, dimetire distantiam phænomeni à stella: ac simul  
etiam accipe eiusdem meridianam altitudinem, quam ser-  
ua. Quod si phænomeni & stella suas acceperis altitudines  
meridianas, minoremq; de maiori subduxeris, habebis di-  
stantiam. Habeas etiam in promptu ex tabulis diligenter  
supputatam declinationem stellæ: illius enim adminiculo, e-  
tiam phænomeni declinatio & reliqua innotescunt, hoc  
quo sequitur modo. Cōsidera in ipsa cœli mediatione situm  
stellæ & phænomeni, utrum illorum altius sit. Nam si phæ-  
nomenon altius steterit ipsa stella, distantiam inter stellam  
& phænomenon, per radium inuentam, declinationi stellæ  
adiicies, & conflabis declinationem phænomeni apparētem*